(14

REGIAE FRIDERICO-ALEXANDRINAE
LITERARVM UNIVERSITATIS

PRORECTOR

# D. EDUARDUS JOSEPHUS SCHMIDTLEIN

JURIS CRIMINALIS PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS

CUM

PROCANCELLARIO

RELIQUOQUE SENATU ACADEMICO

SUCCESSOREM SUUM

CIVIBUS ACADEMICIS

COMMENDAT.

COMMENTATIONEM

## DE QUODAM ASPIRATARVM GRAECARVM USU

PRAEMITTIT

D. LUDOVICUS DOEDERLEIN
GRAEC. ET LAT. LITT. P. P. O. ET SEM. PHILOL. DIRECTOR. SOC. LITT. MONAC. SODALIS.

ERLANGAE,
TYPIS JOANN. PAUL. ADOLPH JUNGII. MDCCCXLVII.

**A**nte biennium in conventu philologorum Darmstadiensi, dum de vocabulorum aliquot Homericorum originibus disserebam, *φιάλην* quasi quoddam deminutivum vocis *σπέος* vel *σπεῖος* quamvis sono dissimillimae esse affirmavi; nempe literas *σπ* creberrime in *φ* transire. Exstitit adversarius vir doctissimus, J. H. Heinebachius, qui hoc posse fieri acriter pernegaret. Nec ille mihi nec ego illi persuasi, quoniam talia ex tempore ac sine libris non commodius dirimuntur quam lites sine actis. Ergo satis tunc habui virum doctum ad illa exempla rejicere, quae collegissem in libello meo: Lateinische Wortbildung p. 86 et 169. Mutaritne interim ille sententiam ignoro, sed operae mihi pretium videtur diligentius persequi eam quaestionem, eamque si non altius repetere (id enim magnae molis foret), at certe ad similes aspiratarum literarum usus transferre.

Demonstraturus enim sum larga exemplorum copia, aspiratas *Φ*, *Χ*, *Θ* in permultis vocabulis Graecis non esse primitivas, sed mutilatione vel emollitione aliarum literarum et primitivae formae ortas.

Nam modo vocalis aliqua integri adhuc vocabuli per syncopen vel aphaeresin elisa ita compensabatur, ut proxima tenuis vel adeo media aspiraretur, modo consonantes quaedam ita emolliebantur, ut cum tenui proxima coalitae aspiratam efficerent.

## I. Aspiratae vocalem compensantes.

Frequentissime vocabula in brevius contrahuntur syncopes ope. Et saepe quidem Graeci satis habuerunt simpliciter elidere vocalem, ut in *ἐστέ*, *κάτθανε*. Sed iidem saepius etiam, quasi syncopen adhibendo vi et injuria aliquid abstulissent vocabulo eique compensationem qualemcunque deberent, vel ut vim illatam confiterentur, religiose reliquam ejus partem immutare solebant, idque vario modo. Aut vocalem elisam proximae syllabae addebant, vel ipsam ut in *κεράσαι κρῆσαι*, vel saltem ejus tempus ut in *ἀμβολάδην ἀμβλήδην*, *βαρύθειν βρίθειν*, *κεραός κριός*; aut finitimam vocalem ita immutabant, ut elisae par esset, ut in *Ἐρασῖνος Ἀρσῖνος*, *καρήατι κρατὶ*, *γυρωπὸς γρυπός*, vel certe similior, ut *ἀστεροπὴ ἀστραπή*, *πέταλον πτίλον*; aut denique vicinam consonantem aspirabant, quoniam ille spiritus, quasi umbra et simulacrum vocalis, utique simillimus vocali habetur.

Ergo nunc missas facio priores compensandae elisionis rationes, et extremae exempla quaedam afferam. Et aspirantur hoc modo mutarum plerumque tenues, rarius mediae, tam labiales quam gutturales et dentales.

## 1. Labiales.

Ex labialibus evidentissimum est exemplum

ὀμφή ex ἐνοπή

cui simillimum est ὄμφαξ· ὀνόπη apud Hesychium. Alia minus simplicia sunt:

ἐξαίφνης Hom. Il. XVII, 738 non minus ex ἐξ αἰπεινῆς natum est, quam ἐξαπί-
νης; illud unius diphthongi elisione, hoc utriusque correptione. Nam αἰπύς
ut *praeceps* et jäh non *excelsum* tantum sed etiam *subitum* significat, quo
sensu αἰπὺς ὄλεθρος accipiendum est.

μέμφεσθαι ab aoristo μεμαπεῖν corripere formatum est.

στιφρός ex στιβαρός. Lob. Pathol. p. 277. — ὄρφνη nox ex ἐρεβεννή. — σιφλός·
σιπαλός Etym. M. — ἄρφα· ἀρραβών Hes.

πάμφι· παντάπασι Hes. id est πᾶν-ἐπί vel ἐπίπαν, sicuti Hom. Od. XIII, 14
ἀνδρακάς natum ex κατ' ἄνδρα.

Nota sunt vocabula φροίμιον, φρουρά, φροῦδος ex προοίμιον, προορᾶν, πρὸ ὁδοῦ nata.
In his non ρ vicinum sed elisa vocalis genuit aspirationem. Eodem pertinet

εἰςφρεῖν intus admittere. Causativum est intransitivi εἰςπερᾶν.

Quod si sunt qui φιάλλειν pro ἐπ-ιάλλειν dictum arbitrantur, quid impedit, quominus
φή illud Homericum, id est ceu, ex ὅπῃ ortum affirmemus?

Etiam Latini syncopas notabant interdum adhibenda una qua uti solebant aspirata.
Hinc *sufflamen* ὑπόβλημα.

## 2. Gutturales.

Ex gutturalibus dubitationi exemptum est

πλοχμός ex πλόκαμος

sive differunt aliquantulum hae duae formae sensu sive eadem significant. Huic adjungo

ὄρχος Od. VII, 127 ab ἐρύκειν formatum ut ὄροφος ab ἐρέφειν. In paronymis
ἕρκος, ὅρκος et ὁρκάνη aspiratione vocalis compensatum est υ elisum.

ἔχθειν a ΚΕΤΩ κότος descendit, quemadmodum ἰχθύς a κῆτος, et ὄχλος a κυλίω,
κυλίνδειν.

νεοχμός novus syncopatum est ex ΝΕΟΚΑΜΟΣ i. e. νεόκμητος.

πρόχνυ a γόνυ, γνύξ.

μύχλοι· ὄνοι ἐπὶ ὀχείαν πεμπόμενοι (Phocenses apud Hesychium) ex μυκηλός;
nam μυκᾶσθαι etiam de asinis dicitur. Hinc Latinorum mulus.

αἰχμή id est ἀκμή, ut οἰχμή· δούλη apud Hesych. h. e. οἰκίμη, οἰκέτις.

Et unde αἶσχος dictum est? Id ab αἴδεσθαι divelli nequit. Ergo interiisse videtur ad-
jectivum αἰσχός ex αἰδικός syncopatum, cujus in locum successit αἰσχρός. Dubito, etiam
πάσχω, id est παθέσκω, et πέποσχα Epicharmi, id est πεπάθηκα, huc trahere; incertus
utrum aspiratio gutturalis vocali elisae debeatur an pristinae dentalis aspirationi.

### 3. Dentales.

Ex dentalibus agmen ducat

σπινθίον ex σπινίδιον.

Integram formam Pollux VI, 52 exhibet, syncopatâm Hesych. σπινθία· εἶδος ὀρνιθαρίων, σπῖνοι. Non minus certum dico

μαλθακός ex μελιτικός. Nam quod vulgo docebatur, μαλακός adscivisse θ pleonasticum, id hodie in fabulis numeratur. Ita *Μελίτη* insula hodie *Malta* vocatur.

σκυθρός tristis ex σκοτερός, et πλέθρον ex ΠΛΑΤΥΡΟΝ, πλατύς.

τερθρεύεσθαι a ΤΕΡΑΤΗΡ, τερατίας, τερατουργός, et τέθριππον ex τετόριππον.

ἐγρήγορθε ex ἐγρηγόρατε, ut ἄνωχθε ex ἀνώγατε; et conclamatum illud πέποσθε ex πεπόνθατε, πέπονσθε.

θρῆσκος ex τερατικός, de qua voce egi in Reden u. Aufs. T. I. p. 379, sicuti θράσσειν ex ταράσσειν, et θρέειν ex ΤΟΡΕΕΙΝ a τορός.

Prorsus singulare exemplum est ἄνθρωπος; nam in iis exemplis, quae supra collegimus, τ pars radicis fuerat; in ἄνθρωπος autem, id est ἀνερωπος, dentalis literae natura phonetica fuit, et, quanquam non nisi confinio literarum νρ orta litera, δ ad compensationem elisae vocalis sufficere poterat, ut in ἀνδρεία ex ἠνορέη, ἀνδρακάς, ἀνδράποδον, tamen ultro adspirationem adscivit.

## II. Aspiratae consonantem compensantes.

Ex consonantibus sibilans cognatione proxime abest ab aspiratione, et crebro a Graecis extenuatur in spiritum, ut in σῦς ὗς, σιαγών ὑαγών. Sed non principio tantum vocabulorum nec ante vocales solas fieri solet ea sibilantis emollitio, sed etiam quum sibilans cum muta aliqua concurrit. Minime abhorrent quidem ora auresque Graecorum a tali literarum conjunctione, sed inclinabant tamen eo, ut vel hos consonantium concursus levari mallent. Itaque in his quoque sibilantem in spiritum mutabant, ut spiritu cum muta coalescente existeret aspirata, φ pro σπ vel ψ, et χ pro σκ vel ξ, et θ pro στ vel ζ. Et ulterius progressi, quoniam τ simile quodammodo est sibilanti, etiam πτ in φ, κτ in χ emolliebant.

1. φ ex σπ, ψ, πτ.

Luculentissime hoc factum est in

φάραγξ ex σπαράξαι.

Haec quoque satis probabilia censeo:

φιάλη, quod Homero magnum quoddam vas significat, deminutivum est nominis σπέος vel σπεῖος.

συφεός hara compositum est ex συῶν σπέος.

ὄφις ex ἀσπίς *aspis* natum.

εἰλυφάειν Hom. Il. XI, 156 idem est quod alibi εἰλυσπᾶσθαι.

ἀφρός et πεμφηρίς, quae sunt piscium nomina, ut *fario*, radicem habent communem σπάρος.

πίφιγξ avium genus reduplicatione a σπίζειν ductum est, ut *fistula*.

Timidius comparabo inter se φᾶρος et σπεῖρον, φελλός et σπιλάς, ἄφενος et ἀσπανιστεία.

Latini quoque saepius *f* substituerunt literis *sp*, ut in

*fungus* σπόγγος. *fundere* σπένδειν.
*falco* σπελεκάν. *fasces* σπάδικες.
*fragus* ἀσπάραγος. *festus* ἀσπαστός.

Etiam verba *refutare* et *effutire* nihil aliud sunt quam composita intensivi *sputare*. Sed maxime memorabilis est glossa Festi: *Effafilatum: exertum.* Ita haud dubie ille legebat apud Plaut. Mil. Gl. IV, 4, 44 pro eo quod hodie vulgatur: *expapillato brachio.* Nemo quod sciam explicuit, cur velitantium quoddam genus militum *ferentarii* vocitati essent; nempe σπαρέντες, *sparsi* pugnabant. Denique suffixis tantum differre videntur *fala* a σπαλίων vicissimque *fario* a σπάρος vel *ferula* a σπάρτος.

Rarius φ ex ψ natum: ut

δέφειν ex δέψειν.

Vulgo quidem δέφω pro primitivo, δέψω pro intensivo habetur; mihi δεύειν *humectare* et *humectando mollire* pro radice est; nam de verbis in υ exeuntibus non alia intensiva formantur, quam ex illis, quae in β vel π terminantur, -πτειν vel -ψειν; quare etiam ἕψειν intensivum verbi εὕειν esse arbitror cum Lobeckio Rhem. p. 109. Ejus verbale

ἑφθός coctus per syncopen natum est ex ἑψετός.

ἄφαρ adverbium est adjectivi αἰψηρός. ab αἰψηρῶς ita fere diversum, ut μόγις a μογερῶς.

ἐλαφρός syncopata forma est adjectivi λαιψηρός.

γαμφηλή a γαμψός i. e. γναμπτός.

Sed paene innumera exempla sunt, quibus φ ex πτ oritur, ut in

ἐρέφειν ex ἐρέπτειν.

Utrumque verbum significat *tegere* et *tegendo obscurare*; ἐρέφειν passim, ἐρέπτειν saltem apud Pindarum Pyth. IV, 241 et Cratin. ap. Athen. XV, p. 681. Primitivum non est quod finxerunt veteres grammatici ἐρέπειν, sed ἔρεβος, unde ἐρεβεννός, ἐρεμνός.

Ergo plurima verba, quae in primitivis numerari solent, exuere eum honorem debebunt, et intensivorum nomen adeoque deformatorum accipient:

ἀλφεῖν acquirere, a λάπτειν, unde λαφύσσειν et λαιφάσσειν; primitivum habetur in ἀπο-λαύειν.

ἀλείφειν humectare, a ΛΕΙΠΤΕΙΝ λείβειν.

γράφειν a γραπτός, verbali radicis γράω, γράϝω; nam digamma cum seq. τ saepe in πτ coalescit.

*ὀλοφύρεσθαι* ab *ὀλόπτειν* formatum est.

Ut alia omittam his similiora, obscura quaedam vocabula eadem ratione illustrabo.

*βλέφαρον* ex *βλέπτρον* natum; significat autem antiquitus non *palpebras* sed ipsum *oculum*, videndi instrumentum; quoniam suffixum *-τρον* proprium est *instrumentis* notandis.

*ἔδαφος* ex *δάπεδον*, imo ex hujus vocis syncope *ΔΑΠΤΟΝ* natum.

*κεφαλῆς* primitivam formam retinuere Latini, *capitulum*.

*κορυφή* est *κρυπτή*, *vertex* et *calva*, cerebri operculum; nam et *testa* a *tegendo* dicta est.

*παμφαλᾶν* Lycophro v. 1433 eodem *circumspiciendi* sensu usurpavit quo v. 1162. *παπταλᾶσθαι*. Utrumque deminutivum est verbi *παπταίνειν*.

*ῥοφεῖν* *sorbere* ab *ἐρέπτειν* *raptare* non aliter formatum est quam *φορεῖν* a *φέρειν*.

*φυσᾶν* intensivum est verbi *πτύειν*, ut *sputare*, *refutare*.

Quodsi Photius *μέμφειρα· ἡ μέμψις* ex Teleclida affert, id ex eo ipso *μέμπτειρα* extitit, quod Meinekius Com. Fr. T. II. p. 376 substitui jussit. Etiam Hesychii glossae parcendum est: *πρόωφος· πρόσκοπος*; id est *πρόοπτος*.

## 2. Χ ex σκ, ξ, κτ.

Praeter risum exsultatio est laetitiae imago et symbolum; itaque natum est *χαίρειν* ex *σκαίρειν*.

Quinetiam ipsa saliendi significatio mansit in *στυγερός οἱ ἔχραε δαίμων*. Nam *χράειν* *ingruere* ita a *σκαίρειν* formatum est ut *περᾶν* a *πείρειν*. Porro

*χαβόν· καμπύλον, στενόν* Hes. videtur ortum ex *σκαμβόν*, et *χαῖος*, quo vocabulo Apollonius Rhod. IV, 972 curvum illud *pedum* pastorale significat, ex *σκαιός* *curvus*.

Crebrius haec mutatio deprehenditur mediis vocabulis:

*σύρριχος*, *ὕρριχος* non differunt a *συρίσκος*, *ὑρίσκος*. Vid. Meinekius ad Com. Fr. T. III. p. 733. Addi potest *ἄριχος* vel *ἄρριχος* corbis, et *ἀρίσκος*, *ῥίσκος*, *riscus* apud Hesychium. Et *κάδδιχος· ἡμιεκτόν· ἢ μέτρον* apud eundem, idem est quod *καδίσκος*. Quumque *-ίσκος* sit deminutivi nota, patere videtur, cur

*ὀσσίχον* Theocr. IV, 55 significet *quantulum*. Eodem pertinet, ut opinor, *ὀρτάλιχος* *ὀρταλίς* et Byzantiorum *ὀψιχά· ὀψέ* apud Hesychium.

*λαιλάχω· ψοφῶ* apud Photium reduplicatio est verbi *λάσκω*.

Porro χ ex ξ natum in

*εὔχεσθαι*, id est *ἀϝέξεσθαι*, *αὔξεσθαι* vel *ἀέξεσθαι*. Inde *αὐχεῖν*, cui Latinorum *augere* respondet, sensu primitivi *αὔξειν*.

*δίχα* adverbium est adjectivi *διξός*, quod Attici in *δισσός* deformavere. Ipsum autem *διξός* ex *δαϊκτός* natum videtur.

Comparare porro dibet *βληχρός* et *βληχή* cum *βλὰξ μαλακός; νήχειν* cum *Νάξος* quod verbale esse videtur verbi *ΝΑΖΕΙΝ νάειν*, pariterque *ψήχειν* a *ΨΑΚΤΟΣ ΨΑΖΕΙΝ ψῆν* ut *ψακάς*.

Iam vero creberrime *χ* ex *κτ* nascitur, ut

*μαιμάχης* ex *μαιμάκτης*.

Servavit enim hanc formam Zonaras: *μαιμάχης· ὁ ὑβριστής*. Denique pleraque nomina in *-χος* exeuntia eandem habent originem, ex verbalibus:

*μείλιχος* ex *μειλικτός μειλίσσειν*, vel *νηπίαχος* ex *νηπιάζειν*, alia. Non secus *διδαχή, ταραχή, πτυχή, ὀρυχή* substantiva sunt adjectivorum *διδακτός* etc. Porro a nominibus sic deformatis etiam verba formantur, ut

*στενάχειν* a *στενακτὸν στενάζειν*. Ex quo fonte manavit etiam

*δέχεσθαι* i. e. *δέκτεσθαι*. Ergo Herodoti *δέκομαι* non tam Jonica forma dicenda est quae omiserit aspirationem, quam potius primitiva, quae concessit quidem invalescenti intensivo *δέχομαι*, agnoscitur tamen etiamnunc in *δοκεῖν* et *δεικνύναι*, *dicare*, *docere*.

*λέχος* est *lectus*. Radix *ΛΕΧΩ* nulla fuit, *λέγειν legere* diversa est. Veram radicem ajo esse *ΛΕΚΩ*, legen, unde *λεκάνη* et *λίκνον* et *παλλακίς*, quae vocabula sola radicalem fuisse *κ* demonstrant; quae in *λέξαι, λέγμενος, λέκτρον* ambigua et incerta est. Verbum quoque intensivum *λέχω* in usu fuisse, ut illud *δέχομαι*, suspiceris ob formationes *λοχός* et *ἄλοχος* et *λοχμή* et *λεύχεται· κοιμᾶται* apud Hesychium.

*τέχνη* quasi foemininum est nominis *τέκτων*, per syncopen ex *τεκτόνη* natum.

*τεῖχος* et *τοῖχος* e verbali *στεκτός*, *tectum*, *τέγος*.

### 3. *Θ* ex *στ* et *ζ*.

Primum exemplum esto:

*κάναθρον* ex *κάναστρον*.

Moeris p. 242. *κρεμάθρα Ἀττικῶς, κρεμάστρα Ἑλληνικῶς*. Adde p. 234. *κορόπλαθοι Ἀττικῶς, κορόπλαστοι Ἑλληνικῶς*. Etiam *κάναθρον* idem vocabulum est atque *κάναστρον* sive *κάνναστρον*, etiamsi res paulo diversas indicant, et *πολίεθρον* pro *πόλιστρον* dictum, a *πολίζειν*. Porro

*ἀγαθός*, id est *ἀγαστός*, ut vidit Etym. M. p. 5, 22, prorsus ut *κάκιθος· ὁ κακιζόμενος* apud Photium pro *κακιστός*. Ergo

*γήθειν* idem est quod Latinorum *gestire*, ex *ἀγαστεῖν* natum. Commixtum enim est initiale *α* cum medio *α*, ut in *ἀράσσειν ῥήσσειν*.

*καθαρός* a *castus* formatum est; *castus* autem, *καστός*, verbale est verbi *καίνυμαι κεκασμένος*. Non aliter *βύθαλον· βύσμα* apud Hesychium a *βυστόν βύζειν*.

*ψύθος* Aesch. Ag. 488 est substantivum adjectivi *ψευστόν*.

Etiam principio vocabulorum στ in θ emollitur:

θάλασσα ex σταλάζειν natum est, cognataeque voces, ut θόλος limus, fortasse etiam θέλγειν. Ipsius verbi σταλάξαι et στίλη radix protheseos expers habetur in τέλμα.

θιγεῖν, θιγγάνειν a στίξαι.

θῆσαι, unde θηλή et τιθήνη, a στάζειν. Inde et στῆθος id est σταστόν.

θάρσος a στερρός, cujus radix est τέρσειν.

Alia comparasse satius habeo, si forte alius quispiam rationem cognationis assequetur: θρίος et στράγγω *stringo*. — θύρσος et στύραξ δόρυ. — θίν et στειά στιά. — θρόνος θρῆνυς et στορέσαι στρῶμα *torus*.

Denique θ ex ζ oritur. Itaque terminationem verborum -ζειν vel -σδειν assimilatione in -σσειν vel -ττειν, ita emollitione in -θειν transire autumo. Natum est

πελάθειν vel πλάθειν ex πελάζειν.

Nam πλάθειν producta vocali Soph. El. 220 eodem sensu habetur quo medium et intransitivum Oed. Col. 528. ἡ μητρόθεν ὡς ἀκούω δυςώνυμα λέκτρ' ἐπλήσω, i. e. ἐπελάσω, ut Phil. 679 πελάτης λέκτρων. Iam vero post consonantes talis deformatio necessaria propemodum erat; nam ἐρέχθειν syncopatum dixeris ex ἐρεικάζειν vel ῥαχίζειν, ἄχθεσθαι ex ΑΧΙΖΕΣΘΑΙ ἄχεσθαι ac deinceps ἔσθειν ex ΕΔΑΖΕΙΝ ἔδειν, πέρθειν a πείρειν; quanquam uti fere sit, pro libidine etiam ἀλκάθειν pro ἀλκάζειν dicebant, si fides Hesychio hanc posteriorem formam agnoscenti. Sed inserviebat eadem varietas distinguendis intensivis verborum homonymorum; quippe εἰκάθειν ad εἴκειν cedere, εἰκάζειν ad ἐοικέναι similem esse pertinet.

* * *

Disseruimus adhuc de aspiratis. Earum de vi quae dicta sunt, eadem transferri possunt etiam ad ipsum spiritum asperum. Nam is quoque compensat tam vocales quam sibilantes. Libet praegustare eam quoque quaestionem.

ἥλιος ex ἠέλιος natum id est αὐαλέος.

Ἥρη ex ἠέρη, quod fuit foemininum quoddam nominis ἀήρ. Similiter Ἡρακλῆς est ἠεροκλέης id est αἰρόμενος κλέος.

ἅζεσθαι intensivum est verbi αἴδεσθαι quemadmodum ἅψεα pro αἴψεα dicebatur.

ᾅδης pro ἀΐδης scribitur.

Porro pro consonantibus extrusis accessit vocali initiali aspiratio:

ἁδροτής spiritu suo illud ν compensat, quod extrusum est in ἀνδροτής, et ἁμαρτάνειν pariter illud σ, quod fuit in ἀμερστός, verbali verbi ἀμέρδειν.

Anniversarium prorectoratus academici honorem hic dies suffragiis collegarum, approbatione regis clementissimi detulit ad virum summe venerabilem,

## D. Jo. Christian. Conrad. Hofmann,

*theolog. prof. publ. ord.*

Ei viro Vos, commilitones humanissimi, tanto libentius reverentiam moderatori reipublicae nostrae debitam praestare eumque obsequio Vestro in munere gerendo adjuvare cupietis, quanto valdius ingenium viri et doctrinam admirari, elegantiam et comitatem diligere pridem consuevistis.

P. P. Erlangae d. IV. Novemb. MDCCCXLVII.

**(L. S.)**